



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens Psalmos à 101. ad 125.

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1764**

**VD18 15558428-001**

Psalmus CXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53433)

bus, ac superbis. *Quoniam multum &c., facti sumus opprobrium abundantibus &c.*

PSALMUS CXXIII.

**T**itulus : *Canticum graduum.*

Argumentum est exultatio eorum, qui de gravissimis tribulationibus liberati fuerant, ut passi sunt israelita, vel dum essent in captivitate, vel dum templum, & civitatem iterum edificarent, vide *Esdras l. 1. & 2.* Quantum pertinet ad spirituales Israelitas, seu Christianos, ad celestem Ierusalem ascendentes, Psalmus referendus est ad persecutiones Paganorum, aliorumque impiorum, à quibus liberati sunt SS. Martyres, & electi ceteri quotidie liberantur.

ψ. 1. *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis.*

Sermo imperfectus, & per illud, *dicat nunc Israel*, interruptus, signum est insolitæ lætitiæ. Dicit igitur multitudo Sanctorum de magnis tentationibus liberatorum. Nisi Dominus omnipotens nobiscum fuisset, nunquam evadere potuissemus.

ψ. 2. *Cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos.*

ψ. 3. *Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.*

N

Ecce

Ecce quid accidisset nobis, nisi Dominus potentissimâ suâ virtute iuvisset nos. Cùm nostri persecutores exurgerent adversùs nos, periculum fuit, ne tantâ velocitate nos perderent, quantâ solet mare, vel flumen deglutire eos, qui in illud fortè præcipitantur. *ψ. 3.* idem aliis verbis repetit.

*ψ. 4. Torrentem pertransiit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.*

Pergit in eâdem similitudine, & ait in personâ Sanctorum: persecutionem, quasi torrentem, pertransiit anima nostra: caro enim succubuit, & cessit persecutorum furori, sed anima gloriôsè pertransiit. Sed nisi Dominus fuisset in nobis, intrasset forsitan torrentem nimis profundum, unde evadere non potuisset. Licèt SS. Martyres, & Confessores gloriôsè superarint persecutiones, tentationes Paganorum, Hæreticorum, Dæmonum, quot tamen victi perierunt? lege Cypr. *serm. de lapsis.*

*ψ. 5. Benedictus Deus, qui non dedit nos in captivionem dentibus eorum.*

*ψ. 6. Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

Ad extollendam magnitudinem beneficii Divini addit aliam similitudinem. Deo gratiæ

tia agenda, quod non permiserit nos ab adversariis capi, occidi, ac devorari: anima nostra incidit quidem in persecutionem, & tentationem, sicut passer, vel alia avis in laqueum aucupis: sed tamen liberata est ab illa tentatione, & persecutione, antequam caperetur à tentatore, & occideretur: ut avis aliquando laqueo capitur, sed eripitur indè, antequam ab aucupe capiatur manibus, & occidatur, & manducetur. Id autem factum est, quia tentationi per gratiam Dei finis impositus est, antequam anima fidem negaret, vel alio modo in peccatum consentiret: ut quandoque laqueus frangitur, & avis comprehensa avolat, ac spem aucupis inhiantis frustratur.

Ps. 7. *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit calum, & terram.*

Concludit cum laude Dei, humiliter agnoscens, victoriam tantam, & liberationem de tam periculosis tentationibus, non viribus suis tribuendam, sed adjutorio cælesti Dei omnipotentis: cujus omnipotentia manifestum est argumentum, quod fecerit cælum, & terram.

PSALMUS CXXIV.

**T**itulus: *Canticum graduum.*

Argumentum: *dat bonum consilium peregrinis, ascendentibus in patriam, tum terrenam, tum cæ-*